



Diss.  
Not.

+

48  
45

DE  
**VITVPERATORIBVS**  
**PHILOSOPHIAE**  
DISSERIT  
ET  
**LECTIONES PVBLICAS**  
QVIBVS MVNVS PROFESSORIS PHILOSOPHIAE.  
PVBLICI ORDINARII  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM  
AVSPICATVRVS EST  
INDICIT  
**IO. GEORG. ALB. KIPPING**  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR  
ET PHILOSOPHIAE P. P. O.

---

HELMSTADII  
TYPIS VID. P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.  
A. C. MDCCCLX.

10. GEORG. AEG. HEDDING  
LITERATUR. IN MEDIOLANI DOCUMENTO  
EX LIBRIS. M. G. VON HEDDING.  
M. G. VON HEDDING. EX LIBRIS.  
M. G. VON HEDDING. EX LIBRIS.



**P**hilosophicum saeculum est. Scripserunt iam olim, ut nostris temporibus, indocti doctique passim: hodie et philosophantur. Vix effulgere cooperat praestantissimum inter nostros Leibnizii ingenium, cum statim longo agmine incederent imitatores. Fuerunt inter hos, quos dignos illo duce diceres. Longe maior vero pars per quam inuita Minerua hoc negotium in se suscepit.

A 2

Etenim

Etenim, quod plerumque fieri videmus, ut in constituta vita studiorumque ratione rari naturam sequantur, id iis quoque saepenumero vsu venire solet, qui philosophicis studiis operam suam dicare constituent. Paucissimi suo vtuntur ingenio; rapit plerosque dira cupidio. Itaque sic, ut, dum nec virium suarum, nec vitae, qua degunt, conditionis rationem habent, Philosophiae operam dent infausto euentu homines, quibus, modo ad alias vel scientias vel artes applicare se maluissent, ampla rei bene gerendae spes supererat. Siquidem eum in finem mortale genus condidit Auctor Naturae, ut singuli virtutis essent studiosi; non vero, singuli ut essent Philosophi. Itaque nullum mortalium iis prorsus destitutum esse comperimus, quibus ad vitam beatam omnino opus est; illas animi dotes, quibus Philosophum praeditum esse oportet, non nisi paucis Deus est dilargitus. Dum vero perhibemus non id fuisse Deo consilii, omnes homines Philosophi ut essent, adparet nos de Philosophis loqui, non quidem quales omnes homines esse omnino refert, i. e. virtuti vehementer detitos, sed quales omnes homines haberi se volunt, i. e. tales, qui viuendi et sapiendi praecceptores aliis esse queant.

Tantum cum sit hominum studium, vel potius intemperantia philosophandi; nemo, nisi expertus, facile crediderit, hoc ipso tempore, quo nobilissima Scientia laudatorum cultorumque copia laborat, magnum

gnum numerum superesse eorum, quibus, non dico  
haec, qua nunc utimur, philosophandi ratio, verum  
ipsa Philosophia displiceat. Ita vero se res habet.  
Nihil umquam tam bene constitutum fuit inter ho-  
mines, quin partim prauis cultorum studiis, partim  
iniquo maleuolorum vituperio vsus eius vel omnino,  
vel saltim magna ex parte interciperetur.

Qui nostris temporibus Philosophiae vituperato-  
res agunt, eos in tres potissimum classes commode  
redigere licet. Sufficit quippe eos indicasse, qui in-  
ter aduersarios Philosophiae eminent, ne singulos  
persequendo nimis prolixii simus. Illos vero, qui  
maiorum aetate obtrectarunt laudibus Philosophiae,  
silentio eo rectius praetermittimus, quo grauius iam  
in eos dictum est ab his ipsis, quorum tum maxime  
intererat prouidere, ne dignitate scientiae labefactata  
ipsius ingentis laboris, quo Philosophia exculta est,  
fructus vna interciderent.

Prima classis eorum est, qui aliis vel artibus vel  
scientiis vnice dediti Philosophica studia p[re]ae suis ha-  
bent despicata. Horum iam olim bene multos fuisse,  
vel ex Cicerone constat, auctore cum alias grauissi-  
mo, tum in primis in iis, quae ad constituendam rem  
philosophicam pertinent, quam ille inter ciues suos  
princeps et parum quidem aequis, vt adpareat, po-  
pularium studiis constituit. Ita vero ille: *Quibusdam,*  
*et iis quidem non admodum indoctis, totum hoc disipli-*  
*cet*

*cet philosophari.* Quidam autem non id tam reprehendunt, si remissius agatur: sed tantum studium tamque multam operam ponendam in eo non arbitrantur. (\*) Atque in hac sententia eos passim esse videmus, quibus ad eas ipsas, quarum studium profitentur, scientias non animi vis, sed lucri cupidio aut prava parentum voluntas dux et auspex fuit. Hi nimisrum ille sunt, qui nobile scientiarum exercitium ad sordidas opificiorum rationes renunciant, nihilque dignitate, omnia priuatis commodis metiuntur et emolumentis. Hi, quantus Philosophiae in reliquis scientiis usus sit, minime perspicunt; id tamen persentiscunt, dignitate mem se tueri non posse, siquidem hac lege viuendum sit eruditis, ut verae philosophiae studiis ante omnia operam eos dare oporteat. Verum hos, quibus iniqua doctrinae et scientiarum sorte nomen eruditorum obtigit, non morarum.

Sunt vero alii, satis quidem illi bona indole praediti satisque magno scientiarum usu instruti, qui de Philosophia idem cum prioribus sentiant. Saepenumero enim accidit, ut iuvenes, ad ornandas scientias nati, vel rei familiaris angustiis oppressi, vel ad prauos studiorum magistros delati, neutquam ea, quae par est, ratione litteris imbui queant. Hos, quomodo in iis, quas theoretica vocari usu obtinuit, studiis rite versentur, partim tempus deficere, partim institutio. Quo ipso fit, ut eam vnicce operis partem

ad-

\*) Cicero de finibus bonorum et malorum, L. I. c. 1.

adgredi consuescant, quam post munitam demum viam adire oportebat. Deprimuntur statim ab initio animi, quos natura ad culmen scientiarum vocauerat. Hi, postquam sui iuris facti sunt, rerum quidem philosophicarum non raro habent inuestigationem. Erecta enim mens veri numquam non est studiosa. Sed cum destituantur illis subsidiis, rectae methodi in primis, quae non nisi iuuenilis actas percipere solet, parum proficiunt. Itaque vix ea callent, quae primis Philosophiae continentur capitibus. Circa reliqua saepissime hallucinantur. Ex ea re fit, vt, cum ipsi in scientiis philosophicis vix quidquam veri certique deprehendere queant, ne id quidem, inesse iis quidquam veri certique, perspiciant vel perspicere velint. Id enim prauo, sed nimis inter homines recepto, more malignum, quam ingenua ignorantiae suae confessione laudibus suis quidquam detrahere. Porro, qui tali ingenio sunt, Philosophiae studia iustumque ordinem in reliquis scientiis necessarium esse, vel eam ob causam negare solent, quod praeclaras, quibus pollut, animi dotes improbumque laborem non raro instar verae doctrinae auxilio sibi fuisse experti sint. Denique simili prorsus ratione, atque illi, qui in vitiis consenserunt, hoc ipsum, laborare se vitiis, praec consuetudine non amplius sentiunt; ita et hi, dum rebus gerendis sine praefidiis Philosophiae diu praefuerunt, deesse sibi aliquid ad doctrinam non amplius sentiunt; quin potius aliorum studia plusquam Campano despiciunt supercilie.

Ho-

Horum quidem obtestationibus respondendum esse arbitror; verum neutquam eo consilio, vt in gratiam cum Philosophiae studiis nostra illi opera reducantur. Non enim sum nescius, clauam cito Herculi posse extorqueri, quam erroris confessionem his hominibus. Depellit nos hac de spe cognitum satis experientia et commune fere vniuerso mortalium generi, tum his inprimis hominibus vitium, ad quod prava eos abducit famae cupidus, ut incredibili sententiae obstinatione bonum et verum repudiare, quam se errore usque huc ductos fuisse fateri, malint. Sed omnino respondendum iis esse arbitror, ne illi, quibus ad studiorum rationem ineundam omnia adhuc integra sunt, his obtestationibus in similem rapiantur errorem.

Copiosa vero aduocatione in hac causa defendenda vti nolo. Itaque illud, quod millies iam dictum est et millies in posterum dicetur, omitto, iniurie facere eos, qui, cum a his studiis semper alieni fuerint, de dignitate scientiae nihilominus velint cognoscere. Incassum haec dicuntur, vtut sint verissima. Non enim verbis depraedicandus est usus, quem ad reliquias scientias adfert haec nostra, sed ob oculos ponendus iis, quorum in commoda ipsa instituitur disputatio. Esse vero aliquam scientiam, quae prima humanae cognitionis fundamenta et singularium scientiarum vel principia contineat, vel saltim rationibus eas et argumentis confirmet, id comprobatur maxime

xime, quod nec vlla gens, quae quidem Philosophiae studiis dedita non fuerit, reliquarum scientiarum nomine vnamquam nobilitata sit, nec in his ipsis Scientiis, licet infinitum in iis excolendis laborem susciperent homines, multum prosectorum sit nisi iis temporibus, quibus simul in Philosophia bene multum operae est possum. Quinimo omnia eius, quae ad rem litterariam spectat, historiae monumenta memoriae produnt, secundis Philosophiae rebus et reliquarum scientiarum fuisse secundissimas; aduersis vero illis omnes de statu suo declinasse doctrinas. Praeterea inter illos, qui in reliquis humanis Scientiis praecipuum nominis celebritatem consecuti sunt, nemo fuit, quia Philosophica doctrina appri-  
me esset imbutus.

Et haec in genere de vsu Philosophiae in condensis Scientiarum disciplinis commemorasse sufficiat. Quantus vero ad comprobandas veritates eas, quae reliquis in Scientiis traduntur, Philosophiae vsus sit, maxime illustri exemplo declarare placet. Veritates, quas ipso Deo auctore ad humanum genus delatas Religionis Christianae nomine insignimus, ita quidem comparatae sunt, ut si regiam rationem sequi vellent homines, citra magnam Philosophicæ eruditionis adparatum iis frui licet. Verum, ut nunc res sunt, ipsos Religionis Doctores Philosophos esse in primis oportet. Ex quo enim licentia hominum, qua de grauissimis rebus vel maxime imparati sen-

misi

B

tentia-

tentiam ferre consueuerunt, in ingens illud malum eva-  
 sit ut ipsas Religionis veritates, quibus salus generis  
 humani continetur, impugnare non erubescerent non-  
 nulli, quos omnes umbras etiam falsae gloriae con-  
 sequentes, non inanes modo rumores, verum et illam  
 famam, quae Herostrati longe peior perhibenda est,  
 auctoritate non puduit; res in eum locum deducta  
 est, ut philosophicis disputationibus supersedere mi-  
 nime possent, qui veritatis tuendae curam gerunt.  
 Siquidem non iis tantum, quae ad comprobandum  
 rerum gestarum earumque monumentorum fidem in-  
 stituuntur, disputationibus opus fuit; verum ipsa  
 Philosophiae grauissima capita, de Deo, de animae  
 humanae et de vniuersi natura et constitutione, summa  
 cura tradere necessum fuit. Haec enim singula auda-  
 cissimorum hominum temeritas in dubium reuocau-  
 erat. Sed bene habet, quod rectis nostrorum consiliis  
 felix et glorijs contigit exitus. Quidquid vel te-  
 meritate vel asturia molirentur aduersarii, nihil ta-  
 men consecuti sunt aliud, nisi ut cladibus suis et igno-  
 minia testimonio essent quantumvis inuiti, causam,  
 quam tuerintur nostri, inuictissimam esse semperque  
 fore. Denique omni adfleueratione adfirmamus,  
 eo depulsos esse hostes religionis nostrae earum-  
 que simul philosophicarum veritatum, quas una  
 cum illa oppugnare consueuerunt, ut nullum dubi-  
 um in medium ultra proferre queant, quod a nostris  
 plus una vice exactissime non sit solutum. Adeoque  
 videmus eos, qui recentissima memoria veritati bel-  
 lum

lum indexerunt, vel in eo occupatos esse vnicē, ut saepissime iam dilutas obiectiones impudenter repetant, eorum vero argumentorum, quibus nostri ad singula quaesita luculentissime responderunt, ne mentionem quidem faciant; vel loco argumentorum in re quam maxime graui et seria libellos suos nūgis refercere. Quorum virumque sane est de propria causa desperantium. Quin omnes Christiani nominis et veritatis aduersarios ne vanum quidem illum librum, quo nostris temporibus incomparabilis Skeltonus pro causa Religionis nostraræ dixit, refellere posse manifestum est. Tanti vero successus magnam partem studiis philosophicis deberi, quis negauerit, nisi rerum gestarum plane ignarus?

Alteram classem eorum, qui vel omnino non, vel paucis tantum esse philosophandum volunt, constituit nostro demum aeuio exortum genus hominum lepidissimorum, quos non tam a studiis, quibus se totos mancipatos credi volunt, quam a vitae, quam ingressi sunt, via Anacreonticos dixeris. His non curas et sollicitudines, sed labores potius fugere summa videtur sapientia. Nihil, nisi quod sensibus et ingenio oblectamento esse queat, dignum studio arbitrantur: iucunditati totos se dedunt. Hos in Philosophiam declamantes audire operae pretium est. Satis rident, quae non intelligunt; utque et rationibus pugnant, occidunt nobis semper, quidquid a

Lucia-

VIIII

Luciano in Pseudophilosophos sui temporis di-  
 etum, deinceps nullus repetitum est ab aliis. Quos  
 quidem si duces sequi volueris, breui et iucunda sane  
 via ad veram sapientiam incedere licet. Persuase-  
 runt sibi, pauca tum reliquis scientiis, tum Philosophicis  
 in primis contineri, quibus ad hilaram dul-  
 cemque vitam opus sit. Haec studiose addiscere, ni-  
 hil attinere. Suo quemque ingenio rapi ad ea, quae  
 scire reuera interfit. Illas sublimioris doctrinae tri-  
 cas tetricis Philosophiae doctribus relinquere pree-  
 stare, quibus hic vnicus quaestus fit. Haec illi ele-  
 ganti sane sermone et Poetarum salibus vndeque re-  
 sperso perhibent. Atque ne hos quidem homines  
 ipsos facile in viam reduxeris. Asperimi monitori-  
 bus sunt, qui veritatem serio prolatam ne ad aures  
 quidem admittere volunt. Ipsum porro obtrebatio-  
 nis genus tale est, vt nihil minus necesse sit, quam  
 operosam Philosophiae defensionem suscipere. Suf-  
 ficit, iuueniles animos, qui istis uerborum lenociniis  
 facillime capiuntur, paucis admonuisse, vt ad ipsum  
 horum hominum vivendi morem animum velint ad-  
 uertere. Videbunt delicatulos illos, quantumuis  
 lepidam suam sapientiam verbis efferant, non modo  
 ad omnia illa negotia, quibus commoda sua et digni-  
 tatem querere oportet homines, ineptos esse quam  
 maxime, verum ipsum illud facetum, in quo toti  
 sunt, negotium neutquam ex sententia expedire.  
 Videbunt hos, qui non fructuum sed florum instar  
 vivere constituerunt, eadem, quo flores, ratione  
 mar.

marcescere, et quamprimum vel adolescentia, cuius bona ipsi corrumpunt, deferbuit, vel res, quam misere ipsi vexant, periit, aliorum despectui oppositos, sibimet ipsis, quo grauius malum esse nequit, oneri esse intolerando.

Atque haec de iis dicta sunt, qui, quamuis ipsi parum aut omnino non ad artium liberalium studia facti sint, eo tamen more sibi viuendum esse arbitrantur, quem Poetas non nisi per iocum commendasse credimus. Restat, ut ipsis Poetis respondamus. Hos vero, modo virtuti et doctrinae vere dediti sint, nam cum nugatoribus certamen inire nihil attinet, minime fugit, vitiis eorum, qui artes vel scientias profitentur, minime eas ipsis aspergi. Nouerunt, haud paulo facilius iuxta normam suae sapientiae viuere Philosophum, modo serio id velit, quam Poetam ad praescriptum elegantiarum suarum et instar sonorii illius Arcadici. Nouerunt denique, ipsis illas elegantias, quibus delectati complures nimo a Philosophia fastidio abalienari solent, apprime cum his studiis posse coniungi. Sed hac de re infra.

Venio ad tertiam aduerfariorum classem. Horum quidem omnis ratio ea est, ut vitia, quibus studium Philosophiae nostris laborare temporibus animaduertunt, nobis exprobrent. In horum sane depellendis criminationibus id maxime praecaendum est, ad quod minime cauti esse solent caussarum pa-

troni, ne singulas causae partes nimis obstinate defendendo in tota concidamus. Quod enim saepe obseruatum est, multorum criminum insimulatos vix umquam omnis esse culpae exsonentes, id nostris quoque hac in re vsu venit. Summas tantummodo res et potiora accusationis capita attigisse sufficiat.

Eminet haec inter argumenta illud maxime, quod a controuersijs Philosophorum petitur. Contentiosos esse Philosophos, iam in prouerbii venit consuetudinem. Hinc vero colligunt illi; Philosophos magnifice quidem suis studiis sele iactere semperque illud in ore habere, sua vnice opera explorata rerum naturae esse veritatem ac rationem; verum promitto minime satisfacere. Quin potius post tot scripta Philosophorum rem in longe maiorem, quam fuerit antea, adductam esse dubitationem. Idque vel ex eo adparere, quod, cum inter omnes eruditos controuerbia esse soleant, de rebus ad Philosophiam pertinentibus summa doctorum dissensio ne certetur. Et, cum ipsae res, circa quas haec scientia occupata est, occultae et quasi innolutae sint, certiora e Philosophis, tantis odiis inter se dissidentibus, cognoscere velle non nisi eorum esse, quos operam suam ludos fecisse non poeniteat. Haec illi. Et profecto, si patientes veri esse velint nostri, faciantur oportet, ex innumeris, quae et maiorum et nostris temporibus agitatae sunt, quaestionibus pau-

cissi.

cissimas ipsius scientiae commodo esse institutas. <sup>Rā-</sup>  
 ro pro veritate certatur. Frequentissimum inanis  
 honoris certamen est. Hinc tot verborum velitatio-  
 nes, tot aucupia, quibus omnibus vix quidquam  
 aliud quaerere solent nimis pugnaces nostri, quam ne  
 quis altero prius, ne rectius veritatem proposuisse  
 videatur. Quanta animorum contentione decerta-  
 tum est de illo Philosophiae principio, quod rationis  
 sufficientis nomine insignire consueimus? Atque  
 haec omnis inter doctos viros in verbi controuersia  
 posita videtur contentio. De ipsa re satis belle inter  
 eos conuenit. Etenim in confessu est, singulis rebus  
 vel sua natura inesse aliquid, unde cognosci queat  
 cur hac potius, qua vere sunt, conditione sint quam  
 alia, aut facta cum aliis comparatione id posse per-  
 spici. Atqui re intellecta in verborum usu faciles es-  
 se debemus. Vtinam haec mens esset nostris omni-  
 bus, ut veritatis studio duceri se vnicce paterentur!  
 Hac una ad concordiam itur via. Haec una ratio est  
 non tam detegendae veritatis, detecta enim est et in-  
 ter omnes lites eruditorum superstes erit, quam po-  
 tius conuincendi reliquos omnes eam certo explorata-  
 ram esse, quantum eidem humanis viribus id ne-  
 gotii elaborari potuit. Haec denique una superest  
 ratio, qua obtrectatorum criminationes diluere pos-  
 sumus. Ita enim si foret, certus sum paucissimas tan-  
 tum et minoris momenti restare posse quaestiones,  
 circa quas concordiam Philosophorum haud multum  
 requisitus sit aequus rerum arbiter. Qui enim  
 nostram

nostram illam scientiam certis et exploratis veritatis constare negant, donec ullum inter Philosophos superficit dissidium, perinde mihi facere videntur, ac si rempublicam haud bene ordinatam esse contendant, in qua non omnium ciuitatum unus circa singulare sensus sit,

Praeter haec id quoque vituperationis apud eosdem fuit nostri aeuī Philosophis, quod methodo, mathematicam quam vocant, promiscue ad omnes scientiarum partes vii instituerent, et vniuersum veritatum campum suis demonstrationibus vellent patere. Qua quidem in re haud parum a multis peccatum esse fateamur, oportet. Ipsa illa mathematica methodus, ad eruenda Philosophiae principia et ad redarguendos aduersarios praestantissima, regulis praeter necessitatem auctis operosa et molesta facta est. Lubens largior, in eo librorum genere, quod ad institutionem tironum in Philosophia consici solet, omnibus illis regulis, in quibus conficiendis recentiores Logici desiderarunt, satis commode obtemperare nos posse. Sed quis citra taedium legat integra volumina, usui adultiorum destinata, ad eundem methodi rigorem consercta? In quibus rerum exiguum copiam, verborum nimis magnam offendas et eorum, quae non ingratij tantum Musarum, verum in ipsum contertum earum proleta videantur, Denique lectoribus parum prospexerunt quamplurimi talium librorum auctores, quibus id vnicce fuisse consili

Gli videtur, vt bibliopolis bene sit, qui quidem magnae  
molis libris diuendendis rem suam quam celerrime  
augere consueuerunt.

Praeter haec non omnium disciplinarum ea est.  
ratio, vt ad philosophicam amissim pertractari que-  
ant. Quam turpiter se dederunt nonnulli, qui im-  
modica demonstrandi cupiditate rapti et gloriae plus  
iusto expertentes eo yisque progressi sunt, vt ipsa san-  
ctissimae religionis nostrae mysteria instar earum veri-  
tatum, quas vel sibi relecta capit humana ratio, ar-  
gumentis e Philosophia petitis confirmare tentarent?  
Absit a nobis in rebus ad Reuelationem pertinentibus  
nimius philosophandi ardor, aequa ac illud, prope  
quod nonnulli hodieque sunt, Philosophiae fastidi-  
um. Quorum vtrumque, quam sit pernicisum,  
manifesto compertum est. Atque vt huic vnice, cir-  
ca quod versamur, inhaeret argumento; qua de-  
rimum spe aut qua confidentia id sibi sumunt homines,  
vt sublimes illas veritates, quibus vt impertiretur  
humanum genus, ipse Deus necessum esse iudicauit,  
suis viribus velint explorare? In proclui est error,  
nec impune per haec ardua niti datur. Tum hac  
ipsa temeritate cauillationibus hostium Religionis adi-  
tus patefit. Hi enim, vt ad ipsas veritates misere  
caecutiant, admodum tamen vident inque suos  
vius

vsus convertere parati sunt, si quid a nostris effen-  
sum sit.

Exprobare tandem solent nostris illi incultum  
horridumque, quod visu fere obtinuit, scribendi ge-  
nus; neque id quidem iniuria. Nescio enim quo  
fato hic inter Philosophos mos inualuit, ut a cultu  
dictionis alienos se esse instar sapientiae reputent.  
Paucissimis Musarum probatur consortium, et his  
ipsis eloquentiam ut vitium obiici a reliquis anim-  
aduertimus. Perspicuitatis gratia haec inuecta fer-  
tur barbaries; et tyrannicas illas philosophicae gram-  
maticae leges eam ob caussam latas esse perhibent.  
Magno nimirum Philosophiae bono in locum elo-  
quentiae successit barbaries, qua, si quid ego fa-  
pio, hoc vnum effectum est, vt res apertae illa  
noua dicendi ratione obscurae fierent et ipsa scien-  
tia in fastidium immerito adduceretur. Iniquos  
vero nobis se praebent, qui culpam in ipsam inclini-  
nant scientiam. Quae ad Philosophiam spectant,  
acute simul et eleganter tradi posse, exemplis opti-  
me comprobatur. Quo quidem in negotio neuti-  
quam ad antiquiora illa spectabo. Quis enim hodie  
ferat inter Philosophos Ciceronis v. c. mentionem  
fieri? Quem in hunc ordinem referri non debere,  
ex scriptis quidem eius minime colligunt nostrates;  
haec enim legi diu desierunt: sed magistris temere  
credunt. Sed Leibnizii nomen, omnibus gentibus  
nostrae-

nostraequae in primis venerandum, praesto nobis est.  
Hic enim incomparabilis vir in immortali opere  
de iustitia Dei (\*) ad vim iudicij eam, quae vel  
omni sermonis ornatu destituta vigore nobis nihilo  
fecius deberet, id ingenii acumen eaque ornamen-  
ra dicendi adiunxit oratoria, quibus in huius gene-  
tis argumento summam admirationem vel delicatis-  
simis nostri aevi lectoribus efficit.

Haec praefari in capessendo munere academico  
visum est. Obuenit mihi amplissimo Serenissimi  
Principis ac Domini, Domini CAROLI, Brunouic-  
censium ac Luneburgensium Ducis, Heri mei longe  
clementissimi, beneficio munus Professoris Philoso-  
phiae publici ordinarii. Hoc ego immortale benifi-  
cium summa pietate tuiturus optimi Principis, quo  
saluo nos omnes perpetua felicitate floremus, et  
totius Serenissimae stirpis Guelphicae incolumitatem  
ardentissimis votis prosequor.

Prouinciam vero, quae clementissime mihi  
demandata est, Summo Numine, cuius praesidium  
supplex imploro, adiuuante rite aditus publicis  
in praelectionibus a noui Antii auspiciis ad Paschatis  
vsque festum Theologiam naturalem sum traditurus,  
praecente Celeberrimo Baumgartenio in Compendio

Meta-

(\*) Theodicée.

Metaphysiees. Harum paelectionum initium erit  
 D<sup>o</sup>. X. Ianuar. Horam iis destinaui VI - VII. ves-  
 pertinam. Priuatas paelectiones, quas festo Mi-  
 chaelis anni proxime elapsi auspicatus sum, iusto  
 simul tempore ad finem sum perducturus. Paele-  
 ctionibus istis beneuoli interesse ut velint Illustrissimi  
 S. R. I. Comites, et nobilissimi atque ornatissimi  
 Commititones, omni, qua par est, rogo obseruan-  
 tia. P. P. Helmstadii d. VIII. Ianuarii,

MDCCLX,



00 A 6427

ULB Halle  
002 927 292

3



R



B.I.G.

Farbkarte #13



48  
45

DE  
VITUPERATORIBVS  
PHILOSOPHIAE  
DISSERIT  
ET  
LECTIONES PVBLICAS  
QVIBVS MVNVS PROFESSORIS PHILOSOPHIAE  
PVBLICI ORDINARI  
CLEMENTISSIME SIBI DEMANDATVM  
AVSPICATVRVS EST  
INDICIT  
IO. GEORG. ALB. KIPPING  
PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR  
ET PHILOSOPHIAE P. P. O.

HELMSTADII  
TYPIS VID. P. D. SCHNORRII, ACAD. TYPOGR.  
A. C. MDCCCLX.